

propriæ pignus contrahi vel subsistere nequeat. l. 45. pr. ff. d. R. I. l. 33. §. 5. ff. d. *Vsurp.* & *Vsucap.* Si tamen creditor heres a debitore institutus & hereditatem restituere jussus, eandem coactus adierit, & postmodum restituerit, obligatio pignoris per aditionem confusa restituitur, quia eo casu adhuc naturalis obligatio durat, per l. 59. ff. ad *SCt. Trebell.* ex quibus autem causis consistit naturalis obligatio, ex iisdem pignus quoque perseverare constat. l. 14. §. 1. ff. d. *pignor.* cum hypothecaria suas habeat conditiones, i. e. si soluta est pecunia, aut satisfactum, quibus cessantibus tenet. l. 13. §. 4. ff. d. *pignor.* Add. *thes.* 13. Petrus Faber. in *Comment.* ad *Reg. Iur.* ad d. l. 45. n. 2. & seqq. Franzk. add. t. *Quib. mod. pign. solv. num. 27.* & seqq. Ex qua ipsa ratione propter subsistentem naturalem obligationem hypothecaria actione conceditur in l. 30. §. 5. ff. d. *Except. rei. jud.*

XLVIII.

Per confusionem denique extinguuntur quoque Jura ad rem seu obligationes in eandem personā concurrentes; Vel Iura ad
rem seu obli
gationes. Interest autem, an hic concursus fiat in una, an pluribus obligationibus: Si in una eademque numero obligatione utrumque jus, tum quod creditor active, tum quod debitori passive adhæret, in unam coincidit personam, veluti si creditor debitori, vel debitor creditor succedit, confusio inducitur, & obligatio non secus ac per veram solutionem vel compensationem plane perimitur. l. 95. §. 2. ff. de *solut.* l. 21. §. 1. ff. de *liber. leg.* l. 1. §. 18. ff. ad *L. Falcid.* l. 50. ff. de *Fidejuss.* l. 7. C. d. paſt. l. 5. C. de *Hered.* *Action.* l. 3. C. de *Fideicomm.* Nemo enim, sui ipsius creditor & debitor esse potest. arg. l. 14. princ. in verb. esse enim debet, cui detur. ff. de *Iur. Codicill.* quo casu etiam fidejussores & cæteri ad promissiores liberantur, ut pote cum pro eodem apud eundem debere non possint. l. 34. §. 8. in fin. ff. d. *solut* l. 21. §. 3. ff. de *Fidejuss.* nullusque ad sit reus, pro quo debeant, & nulla res, quæ debeatur. l. 38. §. 1. ff. de *fidejuss.* & destruēto principali corruat simul accessorium. l. 129. §. 1. l. 178. ff. de *Reg. Iur.* l. 26. pr. C. de *Vsur.* l. 43. ff. de *solut.* Si tamen, verbi gratia, Titius, qui a Cajo fundum emit, & ab eodem evictiōnis nomine fidejussores accepit, eundem fundum Sempronio vendiderit,

E

diderit,